


LVNÆ DIE 26 M. AVGVSTI A. 2002

A.d. VII Kal. Septembres a. MMII

I O 9

M E L I S S A

---



**FOLIA PERENNI LATINITATI DICATA**  
AUSPICIIS DOMUS ERASMIANAE CURAQUE FUNDATIONIS MELISSAE  
SEXIES IN ANNO EDITA

EDITOR RESPONSALIS  
Gaius Licoppe

COMPOSITRIX  
Francisca Deraedt

Avenue de Tervueren, 76, Tervurenlaan, B - 1040 Bruxellis.  
Tel. + 32 (0) 475.47.55.18 / Telecop. 02.735.51.32. / [guy.licoppe@pophost.eunet.be](mailto:guy.licoppe@pophost.eunet.be)  
Bureau de dépôt : 1040 Bruxelles 4 / Afgifte kantoor 1040 Brussel 4



# AD LECTOREM

## AESTAS LATINA

Ab anno 1973 Dr P. Cælestis Eichenseer, suadente Germanica societate c.n. « Europasprachclub », seminaria instituere coepit ad consuetudinem Latine sermocinandi restituendam apta.

Verba anno 1956 inter conventum Avenionensem facta monuerant, sed exemplum a Dr.e P. Cæleste Eichenseer allatum multos homines postea ita traxit, ut triginta fere annis post primum seminarium complures occasiones sermonis Latini exercendi nunc præbeantur tum in Europa cum in America. De hoc prospero effectu oportet valde gaudere. Tot nunc sunt loca, quo æstivo tempore vivæ Latinitatis cultores congregantur, ut his omnibus coetibus interesse vix valeas ; Melissæ moderatores duos hoc anno participaverunt et moderati sunt.

Medio mense Iulio Provinciam (i.e. Francogalliam meridionalem) petiverunt, ubi in abbazia Ferigoletensi, non longe ab Avenione sita, habitæ sunt Feriæ Latinæ, quas ante viginti fere annos Clemens Desessard Olbiæ (v. *Hyères*) instituere coepit. Paucos annos initio P. Suitbertus Siedl, cui eximia erat facundia Latina, Ferias moderatus est ; eo postea deficiente, Clemens Desessard Ferias variis locis instituere non desiit ; a nonnullis annis abbazia Ferigoletensis eas recipere solet. Grandævus minusque prospera valetudine fruens, Clemens Desessard habenas postea tradidit Iohanni Claudio Champeau, qui magno cum entusiasmo munus suscepit resque ordinandas diligenter curat.

Quo non impeditur, quin rei conditor omnibus sessionibus attente interesse pergat. A Melissæ moderatoribus recenter petitum est ut Ferias participarent et tempore exercitationibus Latinis deditum auferent.

Hoc anno triginta fere fuerunt participes e quattuor nationibus oriundi. Aliquid novi et magni momenti fuit in eo, quod præter solitos fidelissimosque participes interfuerunt multi iuniores linguam Latinam docentes, qui magis exercitationum avidi erant quam acroasium.

Ineunte mense Augusto alterum iter suscepimus usque ad extremum Siciliae angulum occidentalem. Ibi iam ante duos annos Georgius Di Maria, Universitatis Panormitanæ professor, seminarium Latinum in summo Monte Eryce instituerat ; iterum hoc anno a nobis petivit ut seminarium moderaremur. Infeliciter ipse Georgius, gravibus curis familiaribus impeditus, seminario interesse non potuit, quod tam diligenter paraverat.

Moderatores autem, Francisca Gaiusque, cum com-

perissent Georgium amplius quinquaginta homines ad seminarium participandum allexisse, inter quos numerabantur quindecim circiter discipuli scholarum Siciensium et Belgicarum, putaverunt se solos rem bene gerere non posse, eo magis quod inter participes notitia linguæ Latinæ erat valde varia. Itaque, extra sessiones plenarias acroasibus destinatas, participes in quattuor greges se dividerunt, qui seu in auditorio seu sub divo in hortis sedem suam collocaverunt.

Primus grex constabat e discipulis eisque, qui vix ullum verbum Latinum proferre audebant ; quos Ericus Palmén linguæ scientia et Stephanus Feye dicendi impetu una ita tractaverunt, ut omnium linguæ mox mirum in modum liberarentur. Secundo gregi Francisca exercitationes grammaticas modo ludicro pro-

posuit. Ego cum tertio grege textus selectos omnis ævi legi, de quibus disputabatur. Restabant nonnulli magis exerciti et expedite loquentes qui, circa Volfgangum Jenniges congregati, de variis argumentis sæpe animose disputaverunt. Præterea cottidie mane Stephanus Feye per semihoram musicam et cantus regebat, quibus omnium animi lætabantur. Carolina Thuysbært, quæ in Schola Nova scænas theatricas libenter excogitare solet et discipulos docet, non paucos participes allexit ad scænas comicas agendas ; rem per totam septimanam extra sessiones exercuerunt atque ad cenam valedictoriam iucunde exhibuerunt. Quæ cena ornata est

splendido concentu musico ; Stephanus enim clavili, eius duo filii violina violoncelloque, arte sua participes delectaverunt usque multam noctem.

Ante cenam, dum sumitur propoma, nonnulla verba prolata sunt atque participes sententiam suam dederunt de rebus in seminariis agendis. Inde patet exercitationes, si bonæ sunt atque attractivæ, maxime utiles haberi ; acroases desiderari vividas, ex tempore factas, ita ut auditor oratoris oculis tactus ad rem acutius attendat. In hac re exemplaris fuit Thomæ Borri acroasis, cuius ænigmaticus titulus erat « Aquilo et Sol ». Is enim, nullo folio adhibito, iuxta album stans, in quo aliquid interdu scribebat, lingua simplici, emendata, clara disseruit de linguæ Latinæ pronuntiatu Italico et restituito.

Præterea Georgius excursionem providerat ad præstantia vestigia Græca Selinuntis et Segestæ invisenda ; sic inter labores omnium animi iucunde sunt recreati. ❧

Gaius LICOPPE



## « CALEPINI NOVI » PRÆFATIO

- conscripta a Theodorico Sacré -

**F**undatio Melissa et Museum Domus Erasmiense mense Iulio in lucem ediderunt « Calepinum Novum », vocabularium linguæ Latinæ hodiernum Francogallico-Latinum et Latino-Francogallicum (cuius vide nuntium in ultima pagina). « Calepinum » nostrum non melius commendare possumus quam præfatione a Professore Theodorico Sacré conscripta ; eam tibi, lector, hic proponimus.

## Lectori

Quingenti ipsi sunt revoluti anni cum Regii Lepidi in urbe Italiæ septentrionalis ex officina typographica Dionysii Bertocchi primum prodiit præclarum *Dictionarium* Ambrosii Calepini (ca. 1435 - ca. 1509) Bergomatis, ordinis D. Augustini monachi.

Typographum autem inter et lexicographum pacto triennio ante inita ; quibus ex tabulis adhuc extantibus patet exemplaria mille sescenta typis esse excusa nobilemque Calepinorum familiam in lexicon illud edendum suam contulisse pecuniam. Hinc suspicamur subolfecisse eos opus id fore quod Balbi *Catholicon* et Papiæ *Elementariæ doctrinæ rudimentum*, lexica dico quæ exeunte tenebrarum quod nuncupatur millennio, ineunte renascentium artium ac litterarum ætate erant in manibus, si non superaturum, at facile esset adæquaturum. Atque obsolevit illa quidem Balbi Papiæve laus, Calepinus vero gratiam dignitatemque mox ita amplificavit, ut philologi Bergomensis, qui opus composuerat, nomen gentilicium in nomen abierit generale. Neque illud tibi rerum historiam diligentius intuenti mirum videri debet ; siquidem *Dictionarium* illud tres intra annorum centurias ducenties ex ordine typis est excusum indefessorum primæ classis philologorum curis auctum atque emendatum. Quos inter Facciolatus memoria sane dignus qui *Septem linguarum Calepinum* anno 1718 publici fecit iuris ; habuit autem hic in dilectissimis alumnis Ægidium illum Forcellinum Patavinum (1688-1768), quo auctore *Totius illud Latinitatis Lexicon*, opus omni cumulatam laude quo ne his quidem temporibus facile caruerit quisquam, circa sæculum duodevicesimum medians perfectum iam atque absolutum est ac paucis post Forcellini obitum annis lucem vidit publicam (1771). Calepini autem exemplo allectus atque incitatus Robertus ille Stephanus (1503-1559), nationis Gallicæ præstantissimus typographus idemque vir omni doctrina ornatissimus, *Dictionarium seu Latinæ linguæ Thesaurum* composuit ediditque (1531). Quid multa ? Princeps ille Calepinus novæ ætatis fuit lexicographus idemque lexicographiæ recentioris ut ita dicam parens, cuius seros nepotes

Forcellinum *Thesaurique linguæ Latinæ* auctores si dixeris, a vero haud longe deerraveris.

Uti autem nihil fere toto est orbe terrarum quod ex nihilo creari posse videatur, ita, quod ad hanc condendorum lexicorum attinet artem ne Calepinianum quidem dictionarium in tabulis rasis componi est coeptum. Non enim suo ille Marte neque suo ipsius tantum ingenio fretus spartam hanc, quam ipse suscepit, exornavit Augustiniani Ordinis sodalis, quippe qui glossaria quæ tunc erant, qui Balbum Papiamque, qui Vallensis illius Laurentii, Poggii Florentini aliorumque virorum doctorum, quos humanistas dicere solemus, opera diligentissime excuteret atque exciperet opusque ex eis scriptoribus compositum ita disponeret ut non ordine tumultuario vel mnemonico uteretur, verum voces in litteras digereret, remque apophthegmis variaque auctam doctrina ita proponeret ut non ii solum qui veterum scriptorum novo iam et ingenti favore florentium opera acriter intellegere vellent, sed etiam qui Latine atque emendate poetare, prosaicare, studerentve loqui paratissimum haberent receptum ad hoc promptuarium. Obidipsum non antiquæ tantum voces admissæ, verum etiam recentiores (quas postea expulit inde Forcellinus). Paulatim peregrinorum quoque inserta sermonum vocabula itaque in lucem publicam emissa sunt lexica Calepiniana alias tetraglotta, alias octolingua ; immo et *Undecim linguarum Calepinus* (ita enim inscriptus est) in lucem venit publicam. Quod cum ita sit, lexicorum polyglottorum fundamenta iecisse constat si non ipsum Calepinum, at eos, qui ei in opere edendo atque ditando successerunt. Nam quotiens recudebatur Calepinus, toties fere additamentis augebatur, ut excreverit in binos plerumque tomos. Ita iustum enchiridioli modum egressus rursus in compendium mox est redactus atque circa sæculum XVI exiens titulo *Calepini parvi* insignitus ; cui Calepinum hunc Bruxellensem in publicum nunc datum non immerito contuleris.

Ipsam Ambrosium Calepinum quindecim et quod excurrit annos lexico suo apparando insudavisse constat : scidæ enim inde ab anno 1487 videntur esse exarata. Totidem fere annos in frontisterio suo noster Gaius una cum Francisca, vitæ socia sociaque laborum, sudavit et alsit, dum varia lexica et (quæ est non minima laus) opera ipsa quædam recentiora Latine scripta percurrunt, qui verba caute convenirentur sive vetera, sive neoterica, sive mediævalia sive recentiora ac recentissima, quibus in cottidiana vita opus esset viris mulieribusque sermonis Latini amore correptis mor-




tuum esse eum sermonem negantibus, ad vitamque qua olim multa per sæcula, extincto Romano imperio, vigere perrexisset, revocare conantibus. Voluerunt enim præsto eis esse lexicon, quod celeri manu aperirent si quod memoria excidisset verbum. Itaque anno 1988 primum prodiit *Parvum lexicon Latinitatis modernæ*, quod ea iam vocabulorum copia ditatum eaque cura nunc recognitum est, ut novum prorsus opus censi debeat.

Duas autem in partes hoc quod proxime elapsum est sæculo divisa mihi fuisse videtur universa eorum natiuncula quibus lexicon renovare et locupletare curæ fuit et cordi. Altera erat enim factio eorum qui Latinitati aureæ eiusve umbræ quasi cuidam omnia postponebant malebantque circuitu verborum uti quam ad eas confugere voces, quæ minus politæ esse viderentur; his partibus præ ceteris Itali studuerunt ac viri Vaticani apud quos usus sermonis nostri vivere numquam desiit et ii inde a sæculo post Christum natum sexto et decimo Tullianis elegantissimis semper favebant. Ipsorum vero mihi factio his ultimis decenniis adeo fracta videtur esse ac debilitata, ut ne in hoc quidem quem manu tenes, benevole lector, libello mentio fiat vel Antonii Cardinalis Bacci, qui *Lexicon eorum vocabulorum quæ difficiliter Latine redduntur* confecit, vel Thomæ Mariucci, qui *Latinitatis nova et vetera* exarabat, absolvere Parca vetante nequirit. Utrumque ego thesaurum, utrumque virum honoris causa heic nomino; nam dubitanti mihi atque ignoranti suppetias sæpe solent occurrere. Altera autem factio eorum est, qui, licet venustate Bacciana capiantur eiusque scribendi et verba condendi ratione moveantur, minus tamen favent eis quos dixi circuitibus, ambages plerumque devitant et audacia paulo maiore, doctrina vero pari, verba nova conflaverunt etiamve conflant. In his (ne cunctos heic afferam) eminuerunt etiamve eminent et Carolus Egger, qui commentariis q.t. *Latinitas* diu præfuit, virum dico Latine doctissimum, cuius *Lexicon recentis Latinitatis* omnibus est notum, et Iosephus Maria Mir Romano-Hispanus, vir tam humanus quam Latine peritus, qui doctrinæ præcellentis librum quem *Nova verba Latina* inscripsit, nobis reliquit vita dignum, ipse e vivis abhinc paucos annos excessit, et Cælestis Eichenseer, vir a laboribus invictus, in scribendo impigerrimus intimaque linguæ Latinæ scientia ac peritia nemini secundus. Quæ ipse (Cælestem dico) lexicis sermonis Romani addenda censuit, ea mihi Gaius Licoppe et Francisca Derædt, tametsi multos adierunt variosque fontes, potissimum secuti esse suaque fecisse videntur, excussis eius viri ut cetera mittam *Collectaneis usui linguæ Latinæ dicatis*. Fuit et auxilio

magno *Lexicon* illud *auxiliare*, quo ingens copia verborum continetur ut ævo humanistico, ita ætate recentiore conflatorum. Qui plura eis temporibus condita verba cognoscere cupit, potest et eiusdem viri librum non sine fructu adire, c.t. *Dissertationes Latinae*. Iam uno exemplo allato quo duce usi sint Gaius et Francisca videamus. Nam « gas », « gasium », « gasum » sit spiritus ille nuncupandus inter doctos non constat; qui fusius de re inter se disputaverunt. « Gasum », quod nomen hoc in *Calepino* offenditur, Nicolai Gross auctoritate freti defenderunt Auxiliarius et P. Cælestis; quem sunt, ni omnia fallunt, Gaius et Francisca secuti. Alii alia: Baccius « gasium » tuebatur; hinc ea forma legitur non solum apud Tondinium, Mirium, Eggerum, sed etiam apud Mariuccium, a quo tamen non vituperatur nomen « gazii ». Mirius autem dubitavit essetne etiam locus tribuendus nomini « gas, gasis ». Pekkanen et Pitkäranta, quos viros honorifice appello, tam « gasum » quam « gasium » olim admiserunt, nunc uno gaso (in *Nuntiorum* volumine v<sup>o</sup>) contenti sunt. Ad fontes erat revertendum: atqui tuus, mi Gai, communciceps Helmontius (Bruxella enim tanti viri vidit cunas) sæculo septimo et decimo ineunte « gas, gasis, n. » primus finxisse atque in usum induxisse dicitur. Id Nicolaum Gross non latuit, qui multis allatis exemplis ita statuit: « Forma 'gasum, -i, n.' videtur esse longe optima. (...) 'Vas, vasis, n.' hac in re paradigma pessimum est, quia omnino non regulariter in casus declinatur. » Illud hic te interrogo, cur « gasum » vir ille doctus probatiorem formam iudicaverit; nam egometipse (ingenue fateor) heic cæcutio, ille parum (ni omnia fallunt) defendit rem. Quod cum ita sit, auctoritas tamen Grossiana efficit una forma « gasum, -i, n. » nunc unica passim proponatur. Ego vero paulo molestius feram, si ceteræ voces ad eandem rem designandam olim creatæ omnino iam oblitterentur, quippe qui usum magis respiciam quam auctoritatem, Venusini poetæ non immemor, qui hæc:

Multa renascentur quæ iam cecidere cadentque  
quæ nunc sunt in honore vocabula, si volet usus  
quem penes arbitrium est et ius et norma loquendi.

At longum est de his rebus disserere; ego rem obiter tetigi, ne verborum usus pristini in oblivionem irent. Ceterum non me fugit aliud esse omnia conquirere, congerere, pensiculare, aliud enchiridion componere. Modus hic erat adhibendus; sin aliter, scidulæ in grapheo Bruxellensi imperfectæ etiamnunc iacerent, nos autem careremus fido hoc atque utilissimo enchiri-



dio. Hoc est enim enchiridion ; atque eo tuto confugies si quod te verbum fugerit, si memoria exciderit, si nulla interposita mora requisiveris quod cum interlocutore tuo Latine communices. Hac ergo in re ardua et laboriosa admodum sanis iudiciis Gaius et Francisca usi nolunt te per deverticula nescio qua ducere, quibus ita irretiaris atque impliceris ut evadere inde nequeas nisi die consumpto profectove eo quicum colloquium eras instituturus. Itaque verbis singulis singula aut summum bina respondent eaque ex optimis fontibus selecta. Quodsi verba quæ hoc promptuario continentur memoriter edidiceris, expeditissime, mihi crede, et Latine loqueris ; nec iam (quod turpe est) hospes esse videbere in iis rebus, quæ ad hoc ævum pertinent, quas tu autem, lector, Latine proferre adhuc forsitan nequieris : hoc autem libello aureo fretus Latina et emendata verba proferes nec iam in patria Latine peregrinari diceris. 𐀀

Theodoricus Sacré  
 Professor academicus in studiorum universitate  
 Lovaniensi

SCRIPTA MANENT  
DE RVSTICATIONE MEXICANA

- scripsit Axelius Schönberger Bremensis -

Officium philologiæ hodie quid est? Textus antiquos et recentes scientifico modo conservare explicare docere, pristinos linguarum status ac modernos, earum mutationem continuam ordinemque internum lege artis describere atque interpretari, hæc omnia studio veritatis, methodo exacta, more quantum fieri possit originali et accurate ita perficere, ut quicumque alius philologus probare possit, verane sint an falsa, quæ de textu quodam vel de rebus linguisticis dicta vel scripta fuerint. Iudicia autem subiectiva, quæ verane falsave sint probari haud possint, non artem sive scientiam, sed potius gustuum manifestationem uniuscuiusque arbitror esse. Altisonantia verba atque interpretationes mellifluæ quibusdam sane placeant hodiernis, sed iam post pauca decennia non iam legentur. Rerum descriptiones simplices, sed exactæ, conspectus textuum, qui lectori paucis quid insit aperiant, sed etiam commentarii prolixo, sicut temporibus philologorum Alexandrinorum fiebant, certe utiliores sunt et per longius temporis spatium inspicientur. Legenti mihi textus antiquos Latinos a philologis sæculorum præteritorum conscriptos sæpe haud inferiores eos intellego esse atque nonnumquam maioris momenti quam quosdam textus philologicos modernos. Non semper enim iuniores sunt perspicaciores, ut ait Priscianus, nonnumquam scriptores sagaces, qui ante nos in mundo fuerunt, hodiernos adhuc superant.

Quom linguistæ hodierni magna ex parte lege artis linguas tam antiquas quam modernas investigent, eorum, qui in textuum studio tabernaculum vitæ suæ posuerint, sat multi, quod saltem ad philologiam linguarum Romanicarum pertinet, more parum scientifico progredientes « ineptias elegantes » sequuntur, ut recte aiunt Alanus Sokal et Iohannes Bricmont in libro suo lectu digno cui titulus *De ineptiis elegantibus : quomodo temporis postmoderni philosophi scientiis exactis abutantur*. Itaque in textibus explicandis theoriæ insipidæ atque parum fundatæ, sicut pilæ ventariæ versicolores Iacobi Lacan vel Iulix Kristeva, ut exempla afferam sæpe citata, a multis adhibentur, quo interpretationes mirum quantum inauditæ fiant, quæ si accuratius in eas inquiris somnia vana atque inania esse invenies. Sed sicut in fabula de Cæsaris novis vestimentis nemo fere nudos illos esse, nihil vel parum tantum utilitatis eorum theoriis inesse aperte dicere audeat. Propterea quod multi istorum scripta citant atque affirmant, a plurimis falsa non esse reputantur, sed immo sequenda, quin etiam imitanda. Hoc est sæculum nostrum, in quo philologia, olim fortasse exactior quam hodie, quædam ex parte languescere cœpit. Insuper autem complures philologi hodierni, qui de litteris terrarum

Romanicarum scribunt, non tam studio veritatis quam potius studio harum rerum inveniendarum, quas ipsi reperire desiderant, adducti non omnes litteras sæculorum præteritorum, sed eas tantum, quæ certis linguis sint conscriptæ, perscrutationi philologiæ subiciunt.

Philologis quidem rebus litterisque Hispanis necnon Lusitanis investigandis deditis magnam partem litterarum in Hispania, in Lusitania sive Portugallia, quin etiam in America Hispana et Lusitana Latine esse conscriptas certe constat, sed tamen in lectionibus universitariis res Latinæ, quæ ad « hispanisticam » disciplinam sive « lusitanisticam » pertinent, vix memorantur neque docentur; quapropter studentes philologiæ linguarum modernarum a professoribus suis quasi semicæci facti sæpenumero traditionis neo-Latinæ omnino sunt ignari atque expertes. Si autem re vera sæculorum præteritorum litteris studuerimus cognoscendis, non ea, quæ fortasse reperire velimus, sed ea, quæ re vera fuerint, nobis erunt quærenda et inquirenda. Philologia Hispanica esset manca atque incompleta, si illi studium textuum, qui per sæcula in Hispania Americaque meridionali Latine componebantur, deesset. Eodem modo, quo hodie litteræ Catalanorum, Galæcorum sive Vasconum studiis Hispanisticis obiciuntur, etiam omnes litteræ Latinæ in terris Hispanis Lusitanisque ab Hispanis vel Lusitanis vel aliis ibi viventibus conscriptæ necessario sunt perscrutandæ. Lingua Latina per multa sæcula intrinsecus fuit lingua culta pæninsulæ Ibericæ atque Americæ meridionalis, non est « condimentum » tantum, sed multiplici atque compluries renovato modo fundamentum linguarum cultusque civilis multorum populorum in pæninsula Iberica inque America centrali et meridionali viventium. Dum in scholis Hispaniæ et Portugalliæ studia linguæ atque litterarum Latinarum continuo deminuantur, ex Guatimala sæculi vicesimi percipiuntur sane voces contrariæ. Iosephus Mata Gavidia Guatimalensis, ut exemplum huius rei afferam, die 19<sup>o</sup> mensis Ianuarii anno Domini 1954<sup>o</sup> in urbe antiqua Sancti Iacobi Guatimalensis apud Monumentum Landivarense orationem Latinam habuit, in qua inter alia protulit hæc:

« Non dissonum auribus nostris ausoniæ voces, quæ romanicæ vigent nostris immixtæ medullis. Non nobis Latii voces inertes esse posse videbuntur, ipsis enim verbis, quibus Cicero et Vergilius, Cæsar et Horatius sententias, poemata, historiamque protulere, quotidie nostra hispana colloquia resonantur et, ut spero, diu resonabuntur.

« Landivar noster, simul atque perilustris

Goicœchea et alii insignes laureati huius Almæ Matris Carolinæ Guatimalensis – quæ amplius quinque millia [sic] magistrorum ac studentium numeravit sæcula XVII-XVIII –, continuo locuti sunt latine. Sunt hæc ponderatæ rationes, supersunt et aliæ.

« Manet in republica litterarum scientiarumque academiis [sic] carissima et antiquissima huius consuetudinis memoria. « Universitas », sive magistrorum et studentium congregatio, latine ac latina orta est, sic auxit, sic micavit, sic suo robore sistit. Illius memorans primordia, illius pervolvens dotes, Accademiæ [sic] hodiernæ tot iam volventibus sæclis et nunc in sollemnibus prisco more latino contionantur (Mata Gavidia 1957 : 189 ; 191). »

Talia igitur verba originaliter Latina sæculi vicesimi secunda parte dixit et scripsit vir doctus Guatimalensis, quom eodem tempore in Europa studia linguæ Latinæ iam minuerentur.

Hæc generaliter dixerim de Latinitate Hispana et Lusitana, nunc ad Landivarense carmen veniam tractandum. Non nova afferam, sed paucis referam verbis de poemate illo Latino, quod mundum novum Americanum effert hexametris doctis atque laboriosis. De auctore deque materiæ distributione carminis liceat pauca memorem atque imprimis varia exempla, quomodo res novæ versibus describantur Latinis, proferam. Synaliphes autem elisionesque metricæ quom legenti facile pateant non separatim significantur. Qua ratione carmen illud Mexicanum quomodo sit compositum breviter ostendam.

Raphæl de Landivar y Ruiz de Bustamante (etiam : y Caballero), qui floruit sæculo XVIII, natus est die 27<sup>o</sup> mensis Octobris anno Domini 1731<sup>o</sup>. Societatis Iesu sodalis quom esset, anno Domini 1767<sup>o</sup>, Carolo rege Iesuitas ex imperio suo expellente, vi coactus exilium quærens Italiam petivit, ubi annos natus fere sexaginta tres die 27<sup>o</sup> mensis Septembris anno Domini 1793<sup>o</sup> diem supremum obiit. Verosimiliter inter annum 1779<sup>um</sup> et 1781<sup>um</sup> primam editionem carminis quod *Rusticatio Mexicana* inscribitur composuit atque anno Domini 1781<sup>o</sup> Mútinæ typis mandavit imprimendam sub titulo qui dicitur *Rusticatio Mexicana seu Rariora Quaedam ex Agris Mexicanis Decerpta*, decem libros sive 3327 versus complectentem. Iam tunc in fine libri editionem alteram, eamque auctam, promisit esse futuram. Bononiæ eodem adhuc anno 1781<sup>o</sup> et ineunte anno 1782<sup>o</sup> alios 2021 versus composuit carmenque quinque libris auxit. Eodem tempore atque rusticatio nostra, id est anno Domini 1781<sup>o</sup>, Romæ inter alios duo libri

Latini de similibus rebus typis impressi sunt, libros inquam *De Rusticis Brasiliæ rebus* Iosephi [José] Rodrigues Melo, Societatis Iesu, et *De sacchari opificio* Prudentii [Prudencio] do Amaral, etiam Societatis Iesu sodalis. Res novæ novi mundi inprimis a Iesuitis exiliatis disserte tractabantur Latine.

Editio igitur altera 5314 hexametris atque 17 disticis elegicis constat. Latinitas huius poematis Virgilium redolet, qua de causa in Europa magni æstimabatur. Sed non solum Virgilium imitatus, quin etiam Renatum [René] Rapin[um], Iesuitam francogallicum, cuius *Hortorum libri IV* anno Domini 1665<sup>o</sup> divulgati tempore illo celeberrimi fuerunt, et alium Iesuitam francogallicum, Iacobum [Jacques] Vanière, qui *Praedium Rusticum* composuit atque anno Domini 1707<sup>o</sup> publicum fecit, æmulatus esse videtur. Sunt, qui inverosimiliter tertiam editionem *Rusticationis* Lipsiæ a Carolo W. Hiersemann esse factam contendunt, sed talis editionis vestigia usque nunc reperiri non poterant. In republica Guatimalæ, in qua poeta hodie maxime, ne dicam cultu publico nimio, veneratur, editiones tantum princeps et altera sunt notæ. Sæculo vicesimo insuper nonnullæ editiones novæ divulgatæ sunt, inter quas editio critica ab Faustino Chamorro anno Domini 1987<sup>o</sup> præparata excellit, quamvis propter nimios errores typographicos, qui etiam in textu Latino inveniuntur, non puto, sicut ait Iohannes Durán Luzio (1991 : 596), illam iam fore « editionem criticam definitivam » huius operis.

Titulus autem carminis quid sibi vult ?

« Georgica », ut notum est, sermone nostro Latino « rustica » dicuntur. Rusticatio igitur omnia ea complectitur, quæ ad vitam ruralem attinent. « Mexicana » autem vox « americanam » significat, ut ipse explicat auctor in « monito » suo operæ antecedenti :

*Rusticationis Mexicanae huic carmini praefixi titulum, tum quod fere omnia in eo congesta ad agros Mexicanos spectent, tum etiam quod de Mexici nomine totam Novam Hispaniam vulgo in Europa appellari sentiam, nulla diuersorum regnorum ratione habita (p. 7).*

Se præter unum locum nihil finxisse, omnes res in carmine didactico descripta sive ab ipso, sive ab testibus fide dignis esse aspectas affirmat :

*In hoc autem opusculo nullus erit fictioni locus, eam si excipias, quæ ad lacum Mexicanum canentes Poetas inducit. Quæ vidi refero, quæque mihi testes oculati, ceteroquin ueracissimi, retulere. Praeterea curae mihi*

*fuit oculatorum testium auctoritate subscripta, quae rariora sunt, confirmare (p. 7).*

Quamvis tales observationes sint loci communes, hoc in carmine præter poetas canentes et omnia, quæ ad deos antiquos pertinent, res omnino fictæ inveniri non posse videntur. De deis autem antiquis sic scribit poeta noster :

*Denique ut inoffenso pede carmen bocce percurras,  
Lector benevole, te monitum uelim, more me poetico locu-  
turum, quotiescumque inanium Antiquitatis numinum  
mentio incidere. Sancte equidem scio, ac religiose profi-  
teor, huiusmodi commenticiis numinibus sensum nullum  
inesse, nedum uim, ac potestatem (pp. 7-8).*

Ceterum difficultatem huius operis haud parvam – scilicet rebus novis mundi Americani voces Latinas reperire – verbis describit his :

*Vereor tamen, ne dum ista percurrens, aliqua interdum suboscura offendas. In argumento quippe adeo difficili omnia latino uersu ita exprimere, ut uel rerum ignaris sub aspectum cadant, arduum quidem est ; ne dicam impossibile. Nihilominus claritati, qua potui diligentia, ut prouiderem, plurimum in iis, quae nunc primum in lucem prodeunt, allaboravi : uulgata uero ad incudem reuocavi ; in quibus plura mutavi, nonnulla addidi, aliqua subtraxi. [...] (p. 8).*

Præstat nobis nunc editionem alteram, eamque auctiorem et emendatiorem, citato perlustrare pede eiusque argumenta paucis exponere, quæ Bononiæ anno Domini 1782° ex typographia Sancti Thomæ Aquinatis in lucem prodiit. Quom res ibi tractatæ omnino non sint difficiles intellectu, sensu enim lectori statim patente, summatim materiarum distributionem sufficiat commemorare. Totum opus quattuor constat partibus : primo dedicatio « Vrbi Guatimalæ » venit, quæ disticis elegicis componitur, secundo breve « monitum », de quo iam sermo fuit, datur, tertio carmen didacticum ipsum narratur, quarto appendix de Cruce Tepicensi subiungitur. Carmen in quindecim libros dividitur, quorum primi tres de geographia agunt. Liber primus de lacubus Mexicanis tractat, liber secundus monti Xorulo, ex cuius vertice flammæ erumpunt, dedicatur, tertius cataractas Guatimalenses describit, qua occasione opportune data tam vetus quam nova Guatimala ambarumque ruina, mons Guatimalæ altissimus, eius aquæ, nemora, flores, fructus, fossæ memorantur. Res atque mythologia Imperii

Romani temporis præchristiani sæpissime ad res novas comparatione describendas adhibentur. Singulæ narrationis partes numquam sunt prolixæ, semper acute punctum tangunt ; ita, exempli grati, Raphæl Landívar paucis versibus constructionem novæ urbis Guatimalæ eiusque destructionem anno Domini 1773°, die 29° mensis Iulii, hisce refert :

Tunc alio Hispanis uisum transferre colonis reliquias urbis, mediaque in ualle locare, quem circum norant celsis pro mœnibus apte surgere sidereos elato culmine montes frondibus insignes, undisque, ac uere perenni. Hic procul indigenis antiqua<sup>1</sup> sede relictis, Hispani posuere noui fundamina regni, ingentemque urbem uasta in conualle locarunt callibus instructam rectis, multoque patentem circuitu ; quam nulla unquam contagia diri uexabant morbi ; nimio nec Cynthius æstu, nec gelido populum Boreas horrore fatigat. Templâ laboratis accisa e rupe columnis ardua, Panchæo semper fragrantia thure, undique fulgebant auro lustrata corusca. Limina tum pulchro passim decorata nitore, luxuriesque agri, ac rorantes gramina fontes æternum dederant urbi nomenque, decusque.

Urbs tamen infelix, quam sors suprema manebat, ingenti demum terræ concussa tremore tota labat, nulloque ruunt discrimine tecta. Templâ, domusque cadunt, saxisque obstructa rotatis nulla per antiquos restabat semita calles. Interea nubes, cælum quæ umbrosa tegebat, lugentique diem, Solemque amouerat urbe, effusos subito præceps se uoluit in imbres, fœdauitque omnes undanti flumine gazas infectas limo, terraque, undaque sepultas. Tollitur inde uirum clamor, mæstusque ululatus femineus, totumque replent suspiria cælum. Et patres natum, et nati dolere parentes suppositos terræ, uulsamque a sedibus urbem. (III, 29-60 ; pp. 43-44).

Inde ab quarto usque ad undecimum librum relatio de industriis hominum præsertim variis fit. Liber quartus coccum et purpuram, quintus Indicum tractat. Sexto autem libro fibri eorumque mores describuntur ; ultimis versibus quomodo venatores fibros capiant exponitur. Fibrorum societas – ac si esset hominum congregatio – dilucide pingitur. Exempli gratia illos citem versus, quibus quomodo fibri arborem proster-



nunt, ut repaguli fiat fundamentum, canatur :


Incipit umbrosum pubes corrodere truncum  
uertice sublimem, ripisque, undisque propinquum,  
qui queat aduersum lapsus contingere litus.  
Corruit annosum, secta radice, salictum,  
oppositasque super considens fluminis oras  
adnectit ripam, ceu pons aptatus, utramque.  
Litora cuncta sonant, magnoque excita fragore  
sæpe cauis Echo resonat uocalis in antris.  
At Fiber impavidus salicem tellure reuulsam  
conscendit, tensisque recidit brachia trunci.  
Ut solet interdum teneris bellator ab annis  
fundere tela graui sonitu raptata per auras :  
turba repentino iaculi stridore pauescit ;  
ille tamen sæuos fertur generosus in hostes :  
haud secus impuido labentis murmura corde  
excipit, et pubes urget nemorosa laborem.  
(VI, 73-88 ; pp. 81-82).

Librum integrum ab Landiuario fibris esse dedica-  
tum nonnulli scriptores (exempli gratia Arnoldus L.  
Kerson 1976) multum sunt interpretati credentes his  
versibus « nusquamam » sive utopiam eius esse inclu-  
sam, quomodo optima vel saltem bona hominum socie-  
tas esset instituenda atque regenda. Rene vera Raphæl  
Landiuar Thomæ Mori *Utopiam* atque Thomæ  
Campanellæ *Civitatem solis* cognovisse videtur ?  
Volutne tantum Virgiliū *Georgica*, in quorum quarto  
libro apium vita narratur, vel Iacobi Vanière *Praedium  
Rusticum* (lib. XIV) æmulari ? An sub prætextu æmula-  
tionis litterariæ cogitationes de optimo societatis  
humanæ statu proprias celavit ? Copiavitne tantum  
excerpta ex variis libris de fibris, quarum descriptiones  
veras esse putavisset ? Quod quidem ultimum mihi  
invocationis huius libri versus ultimos (9-10) et des-  
criptionem, quomodo fibri sint venandi, in fine libri  
sexti legenti verosimilius esse videtur. Sed quid de illa  
societate animalium quasi « communistica » cogitet,  
videat unusquisque lector operis ipse. Liceat autem  
adhuc locum adducere, ubi de fibris solitariis agitur :

Sæpe etiam placidis fluuii de finibus acti  
apricos habitant campos, silisque pererrant,  
quos socii exilio damnant ob crimina ciues.  
Aut quos compellunt uenantes, urbe relicta,  
et ripa, et caris pauidos excedere tectis,  
palantesque diu paucos habitare silentes.  
Hæc ubi turba subit, tantum auersata periculum,  
nec fluuios deinceps frenat, nec limina condit,  
sed contenta uadis habitat dispersa cauernas,

stagna queis sollers addit torpentia pubes.  
Semper enim foueam riui labentis ad oras  
effodiunt Fibri, blando qui flumine limen  
irroret, propriaque fluat grauitate sub antrum.  
Hic Fiber undanti corpus refrigerat amne,  
et uitam degit nigris extorris in umbris.  
(VI, 269-283 ; p. 88).

Septimo libro quomodo aurum argentumque  
fodiantur narratur ; cui insequitur liber octavus de  
argenti atque auri opificio. Libro nono descriptio sac-  
chari continetur, cuius commercium illo tempore maxi-  
mi fuit lucri. Liber decimus animalium armenta, unde-  
cimus greges minores in medium ponit. Quom armen-



« Non nunquam populus reiectis aequore tauris  
gaudet inexpertos homines celebrare volantes. »  
(XV, 234-235)



ta aqua indigent, liber duodecimus fontes enumerat varios. Post propositionem invocationemque solitas primo loco celeberrimus fons Guadalupanus verbis describitur his :

*Æthereas qua sacra domus se tollit in auras  
turribus insignis, uastisque augusta columnis,  
religione uirum multis cumulata talentis ;  
cuius inauratis nitidas fulgoribus ædes  
ornatas gemmis, argento, auroque recocto  
Cælituum Regina tenet Guadalupia Virgo,  
plurima quæ larga partitur munera dextra ;  
hac riuus mediis ebullit salsus arenis  
impuris limi commiscens fæcibus undas,  
quæ fauces alueo sitientes turpiter arcent.  
Scilicet infectis tætra salsugine campis  
ebibit ingratos labris fons ille liquores.*  
(XII, 12-23 ; pp. 167-168).

Antepænultimo sive decimo tertio libro avium americanarum descriptio præbetur. Ex quo versus, qui de psittaco agunt, afferre iuvat :

*Sed iam desertis humanæ vocis imago  
sæpius in siluis resonat, meque ipsa uocauit.  
Quas ego dum reputo uoces, et lumina circum  
uoluo, garrit honos nemoris resupinus in alno  
Psittacus, obductus uiridanti membra colore,  
luteolisque notis ceruicem pictus honestam,  
atque etiam nitidam media inter tempora frontem.  
Ingeniosa domi uolucris cicurata magistro  
uerba facit, risumque refert, cantusque mouebit,  
et lacerum morsu digitum scelerata cachinnis  
irridet, gaudetque domos euertere<sup>2</sup> rostro.*  
(XIII, 293-303; p. 195).

Libro decimo quarto silua descripta feræ modique earum venandarum singillatim tractantur, inter quas tapyrus, leo, ursus, panthera, lupus, lycisca americana, aper mexicanus et cercopithécus (accentus Latinus huius verbi, aliter atque in sermone Græco fit, in pænultima syllaba residet). Duos ex hoc libro citem locos, descriptionem lyciscæ et astutiæ cercopitheci :

*Pinguibus hanc uero felix si eieceris agris  
cladem, proiicienda etiam tibi iure Lycisca,  
cuius forma Lupum simulat, simulatque molossum,  
et quæ uulpino pellem depicta colore  
uolpinos etiam sectatur callida mores.  
Hæc semper tenero uigil insidiatur ouili,  
ac plenos auibus nudat chortalibus agros.*

*Non uaga turba canum, pecorum non ense magister  
fraudibus armatam clausis ab ouilibus arcent.  
Lenta gradu, siluæque nigris obducta sub umbris,  
chortibus, aut plenis propior fit sedula caulis ;  
dumque agnum stabulis, aut pullum surripit aruis,  
protinus illa nemus repetens festina profundum  
discerpit prædam, rictu spumante, tenellam.  
Siquando uentrem rabies affligit edendi,  
disparibus complet totas ululatibus auras,  
ut magnam campis credas ululare cateruam.*  
(XIV, 212-228 ; pp. 208-209).

*Sed quem parca quidem priuauit munere formæ  
ingenio prudens tanto natura decorat,  
ut Fibro possit facile præstare sagaci,  
et reliquum salibus nemorum deludere uulgu.  
Hinc cauda quandoque Alno suspenditur alta,  
Indus ubi Solem fluuii Crocodilus ad oras  
captat, et ingluuiem gaudet ridere ferinam.  
Vix etenim fallax frondosæ Simius Alni  
consulto ramos cœpit uersare sonantes,  
cum fera clamoso uentris commota furore  
dentibus exsertis, oris recludit hiatum  
ingentem, mimique ardet celerare ruinam.  
At uafæ, infausto simulans procumbere casu,  
uoluitur in præceps, ceu iam lapsurus in ora ;  
quæ fera confestim, prædam quasi dente teneret,  
claudit, dum cauda trunci suspensus ab alto  
Simius irridet dentes, atque ora prementem.  
Mox rursus lapsum simulat, rursusque minantem  
deludit rabiem ; fluuii dum bellua mimum  
aspernata uafum notas se condit in undas.*  
(XIV, 365-384 ; p. 214).

Libro quinto decimo eoque ultimo varii ludi commemorantur, quibus incolæ Americani tunc temporis delectabantur ; maioris momenti esse videntur gallo- rum proelia, equorum cursus, tauromachia et pedifollis sive pilæ quidam ludus Indianus. Sicut gladiatores antiqui in amphitheatris, ii, qui contra tauros pugnant, interdum ipsi necantur :

*Non nunquam, gladio nimium dum fidit acuto,  
tollitur in cælum confossus uiscera cornu  
conceditque acer fati gladiator iniquis.  
Ille cruentata corpus peruoluit arena ;  
horrescit uisu populus, sociique periclo.  
Hinc aliis aliæ succedunt ordine pugnæ,  
dum iuuat alternis ludos confundere ludis.*  
(XV, 180-186 ; p. 225).

Ceterum adhuc memoratu dignus videtur esse ludus, in quo participes machina quadam utentes atque funibus pendentes quasi volantes ad terram descendunt.

In appendice totius carminis crux Tepicensis, id est crux « naturalis » ex gramine facta, describitur ; carmen adhortatione celeberrima ad iuvenes Mexicanos (sive Americanos) finitur, in qua iterum laus Americæ terræ canitur sic :

Disce tuas magni felices pendere terras ;  
diuitiasque agri, præstantia munera cæli,  
explorare animo, ac longum indagare cæli.  
Alter inauratos Phœbeo lumine campos  
incautis oculis, brutorum more, sequatur,  
omniaque ignauus consumat tempora ludis.  
Tu tamen interea, magnum cui mentis acumen,  
antiquos exuta, nouos nunc indue sensus,  
et reserare sagax naturæ arcana professa  
ingenii totas uestigans exsere uires,  
thesaurosque tuos grato recludere labore.  
(App. 102-II2 ; p. 238).

Permultæ res speciales continentis novi hoc carmine particulatim describuntur atque enarrantur, qua de causa Raphæl Landívar sæpenumero primus poeta re vera Americanus vocatur, id quod fortasse paululum ultra modum est dictum. Eæ comparationes, quæ deos regionesve antiquos in memoriam revocant, auctori adiumento sunt, ut res novas Americanas Europæis lectoribus facilius intellegendas præbeat ; inprimis autem res novas Americanas poetice describit. Quom re vera, ut supra iam commemoravi, paucis exceptis non res fictæ, sed vita ruralis, homines eorumque industriæ, beluæ, natura locorum descriptione satis exacta canuntur, interpretanti nullæ fere sunt difficultates sensus. Est textus, cui more antiquo commentarii de rebus tractatis deque arte poetica licet addantur, cuius sensus omnino non latet in tenebris metaphoricis, sed immo statim aperte patet. Est quoque ludus quidam Iesuitæ expulsi, qui desiderio soli patrii commotus Hispaniam novam præstanti lingua christianitatis describit, est manifestatio conscientia novæ, qua poeta virtutis propriae colonorum Americanorum conscius Mexicum inprimis et Guatimalam sub variis aspectibus depingit. Est carmen georgicum, genere medio compositum, quod traditionem Græcam et Latinam talium carminum componendorum necnon litteras Latinas in America Meridionali compositas in modum mirum quantum magnum auget atque ornat. ❧

## LIBRI ADHIBITI

## Editiones textus

Landívar, Rafæl (1924) : *Rusticación mejicana*, traducción literal y directa de la segunda edición de Bolonia, 1782, por Ignacio Loureda, México : Sociedad de Edición y Librería Franco Americana.

Landívar, Rafæl (1925) : *Geórgicas mexicanas (Rusticatio Mexicana)*, versión métrica de Federico Escobedo, México : Secretaría de Educación Pública.

Landívar, Rafæl (1950) : *Rusticatio mexicana*, copia facsimilar de la edición de Bolonia, 1782, precedida de una introducción por José Mata Gavidia, Guatemala : Editorial Universitaria.

Landívar, Rafæl (1965) : *Rusticatio mexicana : por los campos de México*, prólogo, versión y notas de Octaviano Valdés, México : Editorial Jus (México : Ediciones de la Universidad Nacional Autónoma, 1942).

Landívar, Rafæl (1987) : *Rusticatio mexicana*, edición bilingüe, introducción y traducción de Faustino Chamorro G., Costa Rica : Libro Libre (editio citata).

## Scriptores recentiores selecti

Acevedo, Ramón Luis (1983) : « Landívar y Batres Montufar : dos visiones arquetípicas de la naturaleza americana », in : *Cultura de Guatemala* 4/1 (Enero-Abril), pp. 67-87.

Alcibiades, Mirla R. / Espinoza, Maribel (edd.) (1995) : *Diccionario Enciclopédico de las Letras de América Latina*, Venezuela : Biblioteca Ayacucho ; Monte Ávila Editores Latinoamericana.

Alemán, José María (1957) : « El ganado menor en Varrón, Virgilio y Landívar », in : *Universidad de San Carlos* 42 (Julio, Agosto y Septiembre ; Guatemala), pp. 61-91.

Andueza, María de la Concepción (1963) : « Amor en la Rusticatio Mexicana », in : *Universidad de San Carlos* 61 (Septiembre-Octubre-Noviembre-Diciembre ; Guatemala), pp. 7-33.

Barrios y Barrios, Catalina (1982) : *Rafæl Landívar : vida y obra*, conmemoración del CCL aniversario de su nacimiento, Guatemala : Editorial « José de Pineda Ibarra ».

Batres Jáuregui, Antonio (1896) : *Literatos Guatemaltecos : Landívar é Irisarri, con un discurso preliminar sobre el desenvolvimiento de las ciencias y las letras en Guatemala*, Guatemala : Tipografía Nacional [Guatemala : Ministerio de Educación Pública, 1957].

Bendfeldt Rojas, Lourdes (1963) : « Tópicos en la Bibliografía Landivariana », in : *Universidad de San Carlos* 61 (Septiembre-Octubre-Noviembre-Diciembre ; Guatemala), pp. 69-171 [continet permultas indicaciones bibliographicas].

Browning, John (1985) : « Rafæl Landívar's Rusticatio Mexicana : Natural History and Political Subversion », in : *Ideologies & Literature* 1/3 (Otoño), pp. 10-30.

Brückner, Thomas (rec.) (1993) : « Rafæl Landívar, *Rusticatio mexicana*, Edición bilingüe, Introducción, texto crítico y traducción rítmica al español de Faustino Chamorro, San José, Costa Rica (Libro libre), 1987 : LXVII + 238 S. », in : *Germanisch-Romanische Monatsschrift* 43/1, pp. 115-120.

Carrera, Mario Alberto [ca. 1975] : Breve biografía de Rafæl Landívar,

- Guatemala : Microbiografía de autores guatemaltecos.
- Chamorro González, Faustino (1980) : « Rafæl Landívar, Rusticatio Mexicana : análisis métrico y estilístico, texto latino y traducción rítmica », in : *Perficit : Publicación mensual de Estudios Clásicos : Textos y Estudios* 11/131-137 (Enero-Julio), pp. 1-175.
- Cortés, Eladio (ed.) (1992) : *Dictionary of Mexican Literature*, Westport (Connecticut) ; London : Greenwood Press.
- Díez Borque, José María (ed.) (1980) : *Historia de las literaturas hispánicas no castellanas*, Madrid : Taurus.
- Durán Luzio, Juan (1991) : « A propósito de una nueva edición bilingüe de la *Rusticatio Mexicana*, de Rafæl Landívar », in : *Revista Iberoamericana* 57/155-156, pp. 591-596.
- Figueroa, Francisco (1957) : « Estudio comparativo sobre el tema del Caballo en obras de Varrón, Virgilio y Landívar », in : *Universidad de San Carlos* 42 (Julio, Agosto y Septiembre ; Guatemala), pp. 93-123.
- Kerson, Arnold L. (1976) : « El concepto de utopía de Rafæl Landívar en la *Rusticatio Mexicana* », in : *Revista Iberoamericana* 96-97 (Julio-Diciembre), pp. 363-379 ; etiam in : *Cultura de Guatemala* 6/2 (Mayo-Agosto de 1985), pp. 113-136.
- Kerson, Arnold L. (1989) : « Los latinistas mexicanos del siglo XVIII », in : Neumeister, Sebastian (ed.) (1989) : *Actas del IX Congreso de la Asociación Internacional de Hispanistas, 18-23 agosto 1986, Berlín*, Frankfurt am Main : Vervuert, pp. 603-608.
- Mata Gavidia, José (1957) : « El Monumento a Landívar (bilingüe : español-latín) », in : *Universidad de San Carlos* 42 (Julio, Agosto y Septiembre ; Guatemala), pp. 186-211.
- Mata Gavidia, José (1967) : *Landívar : el poeta de Guatemala*, Guatemala : Editorial « José de Pineda Ibarra ».
- Mata Gavidia, José (1986) : « La idea de 'Naturaleza en la Rusticatio Mexicana' », in : *Anales de la Academia de Geografía e Historia de Guatemala* 62/60, pp. 263-288.
- Millán, María del Carmen (ed.) (1967) : *Diccionario de escritores mexicanos*, México, D. F. : UNAM.
- Pardo, José Joaquín (1964) : « Biografía de Rafæl Landívar y Caballero : Autor del Poema Rusticatio Mexicana », in : *Humanidades : Revista Fascicular editada por la Facultad de Humanidades de la Universidad de San Carlos de Guatemala* 4/2, pp. 1-52.
- Pérez Alonso, Manuel I. (1978) : « El padre Rafæl Landívar, S. J. », in : *Estudios de Historia Novohispana* 6 (México : Universidad Nacional Autónoma de México), pp. 133-144.
- Putzeys Álvarez, Guillermo (1963) : « Lo Vegetal en la Rusticatio Mexicana », in : *Universidad de San Carlos* 61 (Septiembre-Octubre-Noviembre-Diciembre ; Guatemala), pp. 35-67.
- Putzeys Álvarez, Guillermo (1965) : « La Patria, Landívar y Petrarca », in : *Humanidades : Revista Fascicular editada por la Facultad de Humanidades de la Universidad de San Carlos de Guatemala* 4/9, pp. 1-8.
- Sokal, Alan / Bricmont, Jean (1999) : *Eleganter Unsinn : wie die Denker der Postmoderne die Wissenschaften mißbrauchen*, ins Deutsche übertragen von Johannes Schwab und Dietmar Zimmer, München : C. H. Beck. (editio originalis: *Impostures intellectuelles*, Paris: Éditions Odile Jacob, 1997 ; versio anglica : *Fashionable Nonsense: Postmodern Intellectuals' Abuse of Science*, New York : Picador, 1998).
- Sorbelli, Albano (1957) : « El Virgilio de la América Central : Rafæl Landívar en Bolonia », in : *Universidad de San Carlos* 42 (Julio, Agosto y Septiembre ; Guatemala), pp. 175-179.
- Vela, David (1968) : « Rafæl Landívar : primer poeta lírico de América », in : *Revista conservadora del pensamiento centroamericano* 93 (Nicaragua), pp. 25-40.

- 
1. In editione textus citata per errorem « antigua » legitur ; editio Bononensis altera anno Domini 1782° divulgata hunc errorem typographicum non continet (cfr. Landívar 1950).
  2. In editione textus moderna « vertere » legitur, sed tamen propter rationem metricam necessario « evertere » est legendum, quod etiam in editione altera originali (Landívar 1950) stat.

## DE TRAPEZITIS ARGENTARIISQVE ANTIQVIS

- scripsit Gaius Licoppe -

In omnibus fere linguis hodiernis adhibetur vocabulum e stirpe Germanica « bank » ortum. Etiam forma Latina huius vocabuli, quæ est « bancus, -i », in usu est ab Ætate Mediævali exeunti ; inde « bancarius, -ii ».

Quomodo definitur hodiernum bancarii officium ? Re vera nulla exstat definitio quæ sit toti terrarum orbi apta. Valde enim inter se differunt leges, instituta et operationes quæ spectant ad bancum. Generaliter tamen dicere licet bancarium esse hominem qui modo professionali et suo ipsius periculo pecunia aliena in negotiis utitur ; oportet etiam solutiones loco depositorum faciat.

Quando et ubi apparuit hic modus agendi ?

Iam in Mesopotamia tertio millennio a.Ch.n. commodationes per contractum coram testes fiunt, quæ veris cautionibus firmanur. Munus tamen fundamentale bancarii, quod est pecuniam commodare ex alienis depositis, in Babylonia non apparuit.

Historici putant iura, quæ ad commodationes spectant, separatim crevisse in Mesopotamia et in orbe Hellenico. Unum tamen vocabulum, quod est ἀρραβών, ex Assiriis assumpserunt Hellenes. Ex quo vocabulo Græcoromani duo vocabula finxerunt, quæ sunt « arra, -æ » et « arrabo, -onis », quibus significatur quoddam cautionis genus.

Verum bancarii officium, quale supra definitum est, in Græcia apparuit. Hoc videtur factum esse exeunte quinto sæculo a.Ch.n. atque fieri potuit propter monetam in Lydia exeunte septimo sæculo inventam.

Quinto sæculo a.Ch.n. multæ civitates Græcæ nummos cudebant, forma et pondere dissimiles : duo milia et septingentæ quinquaginta nummorum species (2.750) numerantur, quæ et metallo et pondere inter se differunt. Quare in commercio inter civitates ortæ sunt magnæ difficultates ; unum enim nummorum genus in alterum non permutabatur sine vera scientia ; huic accedebat quod veri nummi distinguendi et discernendi erant a falsis, qui abundabant.

Ineunte quarto sæculo homines humiliores, pleurumque servi, hanc scientiam nacti quæstum facere cœperunt nummos permutando ; cum hoc fieret in mensa (Græce : τράπεζα), τραπεζίται (Latine : mensarii) vocati sunt. Nonnulli eorum, propter rem bene honesteque gestam, manu missi sunt et locupletes facti.

Mercatores, qui sæpe longa itinera suscipiebant, suam pecuniam apud trapezitam libenter collocabant ut tute servaretur ; ex eis re vera constabat maxima pars adventorum in trapezitarum officinis ; ibi enim copiam diversorum nummorum aureorum argenteorumque inveniebant ; præterea pecunia servabatur in cellariis et arcis obseratis, ubi ab incendio et effractura tutius

defendebatur. Denique depositores bonæ trapezitarum famæ confidebant, ut legitur apud Isocratem (ΤΡΑΠΕΖΙΤΙΚΟΣ, 17, 2).

Trapezitæ, ante tempus quo veri bancarii facti sunt, deposita solum accipiebant et custodiebant. Licebat depositori suam pecuniam quancumque recuperare. Evenit ut trapezitæ tot haberent deposita, ut ex eis aliquid commodandum sumere auderent, sinente possessore ; sibi vero cavebant ut pecunia commodata post breve tempus redderetur. In Isocratis oratione circa annum 393 habita agitur de quodam trapezita Atheniensi, qui ex deposito sex talentorum compluribus hominibus pecuniam commodavit.

Alius trapezita, Pasio nomine, magnificis oblati donis Athenarum civis factus est, ut narrat Demosthenes. Is præter argentariam in Piræo sitam etiam scutorum fabricam possidebat. Cum anno 372 statuit in otium secedere, locupletissimus erat non solum trapezitarum, sed etiam omnium Atheniensium. Eius bona æstimabantur septuaginta talentis sive quadringentis et viginti milibus drachmarum (420.000). Ut vim tantæ pecuniæ nobis fingere possimus, oportet sciamus eodem tempore operarium cottidie unam drachmam meritum esse atque servum plus minusve ducentis drachmis venditum esse.

Ætate quæ vocatur classica argentariæ solum in septem urbibus inveniebantur, inter quas numerantur Athenæ, Corinthus, Delphi et Byzantium.

Trapezita, qui pecuniam commodabat, rei œconomicæ certe proderat, cum hominum emendi facultatem augetet, sed etiam quæstum faciebat. Nam pro nummis permutatis partem summæ sibi retinebat, quæ vocabatur κόλλυβος. Si exempli gratia fiebat permutatio specierum nummorum argenteorum, collybus erat quinarum vel senarum centesimarum partium (5 vel 6 %) ; sed si quis pro nummis æneis argenteos accipere volebat, collybus augebatur usque ad vicens quinque centesimas partes (25 %). Propter hæc permutationis impensa, mercatores in commercio cum extraneis civitatibus malebant solum paucas nummorum species adhibere, inter quas tetrachmum Atticum.

Tertio sæculo trapezitæ multo frequentiores facti sunt in orbe hellenistico ; tunc erant homines liberi nati, cum eorum professio pluris æstimari cœpisset. Trapezita negotium suum non exercebat ubi habitabat, sed necesse erat eius domum loco instrui, in quo nummi et pignora in vasis condita tute servarentur. Negotium foris gerebat ; eius typicum instrumentum erat mensa, Græce τράπεζα ; sub tentorio in mensa adhibebat trutinam, coticulam, abacum et libros ; interdum tentorium libello præconio ornabatur. Apud

trapezitas pauci erant adiutores.

A tertio sæculo apparuerunt tres novitates, quæ sunt solutio scripto iussa, transcriptio et assignatio bancaria. De his satis multa nobis comperta sunt e magna copia papyrorum et testarum in Ægypto inventarum.

Nonnulla exempla epistularum supersunt, quas privati homines iam a quarto sæculo exeunte scripserunt, iubentes ut cuidam creditori pecunia in externis regionibus mutuata in eius patria solveretur.

Inventa sunt testimonia secundi sæculi, quibus demonstratur usus transcriptionis e quodam computo bancario in alium.

Primo sæculo assignationes bancariæ apparent in Ægypto, verisimiliter quia in hac regione papyrus vilior erat quam in aliis regionibus. Erat, ut adhuc est, modus solvendi qui ipsi personæ datur, non bancario.

Trapezita vetabatur suis creditoribus decoquere ; quod si accidebat, eius bona capiebantur atque vendebantur ut pecunia redderetur creditoribus. Quæ cum ita essent, trapezitæ societates constituerunt, quibus singulorum periculum decoquendi minueretur. Ad decoctionem significandam, in Græcia dicebatur hoc : « ἀνασκευάζεται ἡ τράπεζα » (mensa de foro tollitur) vel « ἀνατρέπειν τράπεζαν » (mensam evertere).


Iam medio quarto sæculo a.Ch.n. instituti sunt statales banci, ut Athenis monente Lycurgo ; qui vocabantur « δημοσὶαι τραπεζαί » et serius, i.e. tempore Ptolemæorum, « βασιλικαὶ τραπεζαί ». Ibi accipiebatur pecunia regimini debita ; deposita tamen privatorum etiam accipiebantur.

Cum in Græcia liceret de fenore sine iuris impedimento statuere, trapezitæ potuerunt fenus diversis negotiis aptare ; pretium periculi maximum erat in negotiis traiecticiis, nam in navigatione tunc maximum erat vecturæ periculum atque pecunia traiecticia solum recuperabatur, si navigatio feliciter evenerat.

Græci maiores summas creditori solvere solebant apud trapezitas. Hoc modo non solum solutio in tabulis inscribatur, sed etiam nummorum bona qualitas comprobatur.

Roma prima inter urbes ad orbem Græcum non pertinentes habuit « argentarios », i.e. homines qui modo Græcorum nummos cambiabant. Nomen « argentarii » eis datum est, quia in initio argenteos nummos extraneos permutabant indigenis solvendi modis. Hæc novitas, quæ videtur a coloniis Græcis Italiæ meridionalis assumpta, apparuit exeunte quarto sæculo a.Ch.n., tempore quo Romani ipsi nummos nondum cudebant et Græcorum argenteos admirabantur.

Quarto sæculo Romæ æs rude adhiberi solet ad solvendum. Diurnus æris usus demonstratur traditis



*Augustæ Treverorum sæc. II nummi vectigalium colliguntur*

locutionibus, quæ sunt « æs alienum » et « ærarium Saturni » ; notandum est publicam arcam pecuniariam in templo Saturni servatam esse.

Argentarii in initio tantum erant campsores ; exeunte autem tertio sæculo etiam facti sunt bancarii. Tabernæ argentariæ ædificatæ erant in foro, unde in usum venit locutio « foro cedere », qua significabatur decoctio. Tabernis anno 210 incendio deletis, Tabernæ Novæ ædificatæ sunt anno 179 iuxta basilicam Æmiliam, sub fornice cui nomen est Janus Medius. Ad columnam Mæniam adfigebantur inscriptiones de soliditate debitorum. Aliis etiam in Urbis locis rem suam exercebant argentarii. Idem fiebat extra Urbem tum in sat multis Italiæ oppidis cum in provinciis velut Gallia, Germania, Hispania et Africa.

Homines, qui in initio vocabantur argentarii, postea etiam aliis nominibus appellati sunt. Exeunte secundo sæculo a.Ch.n. in textibus agitur de « nummulariis », qui nummos cambiabant et spectabant. Primo sæculo a.Ch.n. apparuerunt « coactores argentarii », qui præter argentarii munus etiam nomina exigebant<sup>1</sup>. Fuerunt etiam nummularii, mensarii, mensularii. Quarto sæculo p.Ch.n. apparent collectarii, quorum officium videtur fuisse solidum aureum secundum rationem a regimine impositam permutare ; scimus anno 445 solidum æquavisse septem milia æneorum nummorum, e qua ingenti copia videtur oriri nomen collectarii.

In parte occidentali imperii Romani solum tractabantur nummi Romani ; orientales vel extranei nummi illuc non perveniebant. Argentarii ergo et nummularii præsertim aureos vel argenteos vilioribus nummis æneis permutabant ad mercatorum usum. Pro hac permutatione accipiebant collybum.

« Permutatio pecuniæ » est translatio pecuniæ sine nummis transportandis ; sed hoc solum fiebat pro rei publicæ magistratibus, publicanorum auxilio.



Huiusmodi permutationis Cicero exemplum nobis præbet ; nam cum ad finem sui proconsulatus in Cilicia pervenisset, duo miliones sestertiorum et ducentos (2.200.000) deposuit apud publicanos suæ provinciæ ; qua summa ei postea licuit Romæ uti.

Argentiariorum Romanorum instrumentum a Græcorum instrumento paululum differebat. Mensa certe manebat pars principalis, sed Romani neque cotricula, neque abaco utebantur. Loco abaci adhibebant tabulam nummulariam ubi certus numerus loculorum in tabula incisorum nummos sparsos retinebat, unde numeratio celerior fiebat. Fiscis nummi transportabantur. Libri argentiariorum maximi momenti erant. Unus spectabat ad auctiones, quarum vectigalia inscribenda et solvenda erant. Alter ad depositorum rationes spectabat ; cottidie complebantur tabellæ ; secundo sæculo p.Ch.n. apparent codices, ubi rationes in pergamena inscribebantur ; in litibus, petente iudice, rationes debebant ostendi et argumentum firmum ad probandum præbebant.

Falsarii non deerant. Quare oportebat « nummos spectare » ad falsos detegendos. Opus « spectatoris » non erat facile. Singuli nummi tribus modis erant examinandi :

¶ oculo : exstabant « formæ denariorum » quæ spectatori essent exemplo ;

¶ pondere : trutina adhibebatur ;

¶ tinnitu nummi lapidem percutientis<sup>2</sup>.

Lege Cornelia « de falsis » vetabatur nummos :

¶ adulterare, i.e. metalla vulgaria addere ;

¶ lavare, i.e. nummum liquore mordaci tractare ;

¶ conflare, i.e. igne fundere ;

¶ radere ;

¶ corrumpere ;

¶ vitiare.

Falsarius, etiam si civis Romanus erat, capite damnabatur.

Propter periculum falsorum nummorum pecunia quantum fieri poterat in sacculo includebatur. Inventæ sunt in orbe Romano circiter 150 « tesseræ nummulariæ » ; eorum antiquum nomen re vera est ignotum ; nomen « tesseræ nummulariæ » finxit Germanus nomine Herzog, qui earum usum detegere valuit. Sunt bacula ex osse vel ebore, tria ad decem centimetra longa ; inscripta sunt in quattuor lateribus :

¶ nomen servi vel rarius liberi hominis, casu nominativo ;


¶ nomen domini, casu genetivo ;

¶ « spectavit », adiuncto die ;

¶ nomen consulum munere fungentium.

Hæ tesseræ affixæ erant saccis obsignatis, quibus nummi diligenter spectati continebantur. Hoc modo non erat necessarium nummos sæpius spectare.

Creditum præbebatur ab argentariis a tertio sæculo a.Ch.n., a nummulariis a secundo sæculo. Quanta fuerit usura, parum est notum. Iustinianus imperator vetuit usuram maiorem esse octonis centesimis partibus. Feneratores tamen malam habebant famam. Apud Senecam (*Ep.*, 118, 2) legitur Q. Cæcidium, Attici avunculum, durissimum feneratorem fuisse, quare inter



« tesseræ nummulariæ »

exsequias eius cadaver a multitudine in solo tractum est.

Credita hypothecaria vel credita pro magnis periculisque negotiis, qualia apud Græcos præbebantur, non fiebant apud Romanos.

Argentarii quæstuosum officium habebant in auctionibus. Nam si quis auctionem facere volebat, duo homines ad minimum ei necessarii erant, præco, qui res venales ostendebat atque decernebat, et argentarius, qui auctionem ordinabat atque omnia perscribebat. Idem argentarius venditionis pretium venditori solvebat ad proximas Idus vel Calendas. Emptor eodem tempore pecuniam argentario dabat vel creditum ab eo petebat. Est id quod hodie vocamus « creditum ex arca ».

Pauca vestigia supersunt, quibus plane intellegere possimus quid et quomodo egerint argentarii Romani. Pompeiis anno 1875 inventæ sunt tabulæ ceratæ L. Cæcilius Iucundi, qui coactor argentarius fuit ; quæ tabulæ sunt historicorum fons principalis. In eius arca conditi erant 143 fasciculi trinarum tabularum et decem binarum ; sunt apochæ. In ambobus tabularum generibus scriptura interior et exterior ex eisdem verbis constat, sed testium nomina addita sunt in exteriori latere.

Septimo sæculo p.Ch.n. iam non supersunt argentarii in Europa occidentali propter commercii coartationem et urbium decrescentiam, sed agere pergunt in imperio orientali eodemque Byzantino. Hæc vero est alia historia... ❧

1. Nomen hic significat Fr. *créance*, Th. *Schuldforderung*, Angl. *debt* ; exempla : nomina exigere, solvere, expedire.

2. Gregorius Magnus, *Moralia*, 33, 35.



## IVVENIS WERTHER QVÆ PASSVS SIT

– *excerpta in Latinum versa a Nicolao Gross* –

Alberto<sup>1</sup> redeunti Lotta obviam iit quadam cum festinantia præcipiti, ille non erat hilaris, negotio imperfecto, magistratum vicinum invenerat esse hominem acerbum atque obstinatum. Necnon indignabatur de malo itinere.

Interrogavit, num quid accidisset, et illa respondit præpropere : Wertherum hesterno vespere adfuisse. Interrogavit, num epistolæ essent allatæ, responsum est epistolam et fascem positos esse in conclavi eius. Albertus illuc iit, Lotta remansit sola. Præsente viro, quem amabat et honorabat, novo modo affecta erat. Cum memor esset Alberti magnanimitatis, amoris, clementiæ, animus Lottæ sedatus est, furtim inducta est, ut illum sequeretur, rem tractandam sumpsit, in conclave eius, ut solebat facere. Eum invenit fascis diffringentem et epistulas legentem. Quarum nonnullæ haud iucundissima visæ sunt continere. Nonnulla e viro quæsivit, ad quæ ille breviter respondit ad pulpitem se conferens, ut scriberet.

Hoc modo cum per horam unus iuxta alium erat, animus Lottæ magis magisque contristabatur. Quæ sensit, quam difficile foret marito, etiamsi idem esset optimo animo, hæc pandere, quibus animus suus cruciaretur : incidit in quandam melancholiam, quæ eo anxior fiebat, quo celare et lacrimas comprimere studebat.

Puero Wertheri apparente Lotta in summas angustias est adducta ; puer tradidit Alberto scidulam, qui animo quieto ad uxorem versus dixit : « Da ei pistolia » – « Iubeo ei felix iter exoptare » puero dixit.

Quo illa tamquam fulmine icta est, nescivit, quid hoc sibi vellet. Lente ad parietem adiit, tremula scloPELLUM dempsit, pulverem detersit et cessavit et diu cessasset, nisi Albertus vultu requirenti eam ursisset. Lotta instrumentum miserabile puero tradidit neque unum quidem verbum edere potuit ; puero egresso collegit res tractandas, iit in conclave suum, animo ineffabiliter sollicito. Intimo ex corde ominabatur omnia terriculamenta. Mox in eo erat, ut procumberet ad pedes mariti, ut omnia panderet ; historiam hesterni vesperi, culpam suam, suspiciones suas. Deinde iterum non vidit, quo hoc eventurum esset, minimum sperare potuit se marito persuasuram esse, ut iret ad Wertherum.

Mensa epulis exstructa a bona amica (quæ non venit nisi aliquid rogatum, mox abitura – et remansit) effectum est, ut colloquium mensale sustineret ; Lotta se cogebat, loquebatur, narrabat, ut oblivisceretur sui ipsius.

Puer cum pistoliis venit ad Wertherum, qui eadem

accepit animo elatissimo, cum audivisset ab ipsa Lotta tradita esse. Curavit panem et vinum afferenda, iussit puerum cenare et consedit, ut scriberet.

« Per tuas manus ea tradita sunt, tu pulverem de iis purgasti, milies ea osculor, tu ea tetigisti : tu autem, spiritus divine, faves incepto meo ! Tu autem, Lotta, tradidisti mihi instrumentum, tu, cuius manibus volui accipere mortem, et – eheu ! nunc accipiam. O omnia quæsivi ex puero meo. Te tremuisse illa ei tradentem, te nullum dixisse ‘vale’ ! – Væ ! Væ ! Nullum ‘vale’ ! – Num clausisti cor tuum mihi momenti illius causa, quo in æternum ad te adiunctus eram ? Lotta, nullo millennio exstingui poterit hic sensus ! Et sentio te non odisse eum, qui te tam vehementer ardeat. »

Post cenam iussit puerum omnia vasa colligere, multas chartas discidit, exiit ad minora debita solvenda. Domum regressus iterum excessit ante portam, pluvia neglecta, in hortum comitis, perrexit per regionem circumvagari, nocte ingruente revenit et scripsit.

« Vilelme, ultimo vidi campum et silvam et cælum. Tu quoque vale ! Deus vos benedicat ! Res meæ omnes sunt ordinatæ. Valetate ! Inter nos revidebimus, et lætiores. »

« Malam mercedem tibi dedi, Alberte, et tu ignoscas mihi. Turbavi pacem domus tuæ, suspicionem vobis interposui. Vale ! Finiam. Utinam vos felices essetis morte mea. Alberte ! Alberte ! Angelam beatifica ! Itaque benedicat te Deus ! »

Vespere multum perscrutatus est chartas suas, multa discidit et in fornacem iniecit, obsignavit nonnullos fascis inscriptionibus Vilelmo mittendos. Iis inerant commentariola, quorum diversa vidi, in quibus litteris mandaverat cogitationes abruptas ; cum hora decima igni ligna curasset imponenda et lagenam vini sibi afferendam, ministrum, cuius cubiculum, sicut etiam domini dominæque dormitorium, situm erat in postico, cubitum ire iussit ; deinde idem minister vestibus indutus decubuit, ut mature paratus foret ; nam dominus dixerat equos cursuales venturos esse ante horam sextam.

« Post undecimam. Omnia circa me sita admodum sunt tranquilla, tranquilla etiam est anima mea. Gratias tibi ago, Deus, qui his momentis ultimis donas hunc calorem, hanc vim. Accedo ad fenestram, mea optima ! Et video et adhuc video per nubes procellosas prætervolantes singulas stellas cæli externi ! Non, vos non cadetis ! Æternus fert ad cor suum adiunctas et vos et me. Video iugum stellarum plaustris, sideris omnium mihi carissimis. Cum nocte a te abscedebam, ut e porta egrediebar, illud plaustrum stabat ex adverso mei.

Quanta lætitia elatus hoc sæpe aspectavi ! Sæpe manibus sublatis idem feci signum, sanctum lapidem indicem præsentis meæ beatitudinis ! Tamen – o Lotta, quare non commoneor tui ! – nondum es apud me ! Nonne infantis more varias res pusillas ad me arripui, quas tu sancta tetigeras ?

Cara sciagraphia ! Quam heredio tibi reddam, Lotta, et oro te, ut eandem honores. Exiens aut domum veniens mille, mille oscula ei imprimebam, mille salutationes ei annuebam.

Tuum patrem scidula rogavi, ut tutaretur corpus meum mortuum. In cœmeterio autem duæ sunt tiliæ, in loco postico, in angulo versus campum sito ; opto, ut ibi cubem. Pater tuus poterit hoc facere, hoc faciet pro amico suo. Roga eum tu quoque. Nolo pios Christianos eo gravare, quod iisdem corpora erunt ponenda iuxta hominem miserum. Heus vellem me sepeliretis iuxta viam aut in valle solitaria, ut sacerdos et Levita lapidem notatum sibi benedicentes præteriret et Samarites lacrimam effunderet.

Ecce me, Lotta ! Non horreo comprehendens frigidum calicem terribilem, e quo bibam potum mortis temulentum ! Tu eundem mihi tradidisti nec ego cesso. Omnia ! Omnia ! Sic expleta sunt omnia optata et sperata vitæ meæ ! Quam frigidus, quam rigidus pulso portam mortis æneam.

Utinam tam fortunatus fuisset, ut morerer pro te ! Heus Lotta, *tibi* vitam offerre ! Morerer fortiter, morerer læte, si *tibi* reddere possem tranquillitatem, voluptatem vitæ tuæ. Eheu ! Hoc paucis concessum est hominibus ingenuis, ut sanguinem effunderent pro suis et morte sua amicis incitarent novam vitam centuplicem.

His vestimentis indutus, Lotta, volo sepeliri, tu ea tetigisti, ea sancta reddidisti ; quod ipsum rogavi etiam patrem tuum. Anima mea volabit super arcam funebrem. Ne perquirantur sacculi vestis meæ. Hic lemniscus rubeolus, qui sinui tuo erat affixus, cum primo te inveni inter parvulos tuos – o eos osculare milies et narra illis de fortuna miseri amici. Qui cari ! Me circumvolitant. Heus quam adiunxi me tibi ! E primo momento temporis te non relinquere potuisse ! Hic lemniscus velim mecum sepeliatur. Quem mihi donasti die meo natali ! Ut hæc omnia devoravi ! – Eheu non cogitaram me iter huc facturum esse !

Quiesce ! Oro te, ut quiescas ! Carricata sunt. – Indicatur hora duodecima ! – Ergo fiat ! Lotta ! Lotta, vale ! Bene vale ! »

Vicinus quidam vidit pulveris pyrii fulgur et audivit ictum pistolii ; cum autem omnia manerent quieta,

desiit hanc rem curare.

Mane hora sexta minister iniit cum lanterna. Invenit dominum in pavimento prostratum, pistolium, sanguinem. Appellat eum, comprehendit ; is nullum responsum edit, anhelat tantum. Minister currit ad medicos, ad Albertum. Lotta audit campanam detrahi, tremor invadit in omnia membra eius. Quæ maritum suscitavit, surgunt, minister nuntium affert flens et lingua hæsitans, Lotta animo relicto ante Albertum delabitur.

Cum medicus veniret ad miserum, invenit eum in pavimento positum, salutis expertem, venis adhuc pulsantibus, membris omnibus debilitatis. Telum percussum erat super oculo dextro, cerebrum erat exactum. Superflue ei in brachio vena est missa, sanguis profluebat, adhuc spiritum ducebat.

Cum arcui sellæ sanguis esset aspersus, concludi potuit Wertherum rem perpetrasse ad mensam scriptoriam sedentem, deinde delapsus esse, convulsive circa sellam circumflexus esse. Positus erat adversus fenestram, supinus, omnibus vestimentis indutus, caligatus, veste cærulea, colobio flavo.

Domestici, vicini, oppidani cœperunt tumultuari. Albertus intravit. Werther in lecto erat collocatus, frons circumligata, facies eius iam mortui similis, nullum membrum movit. Pulmo adhuc anhelabat horribiliter, finis exspectabatur.

Vini unum tantum hyalum biberat. In pulpito erat apertus liber Emiliae Galotti. Albertus quantum consternatus sit, Lotta quantum lamentata, ne iubeatis me dicere.

Vetus magistratus nuntio accepto se immisit, morientem osculatus est fervidas lacrimas effundens. Eius filii maiores nati mox secuti sunt, iuxta lectum deciderunt dolore effrenatissimo affecti, Wertheri os et manus osculati sunt, et maximus natu, quem semper plurimum dilexerat, de labiis Wertheri pependit, dum ille decederet et puer vi abriperetur. Meridiana hora duodecima Werther mortuus est. Præsentia magistratus vulgus affluxit. Nocte versus undecimam magistratus curavit Wertherum sepeliendum in loco, quem idem sibi elegerat. Senex senisque filii corpus mortuum secuti sunt ; quod Albertus non potuit. Timebatur de vita Lottæ. Fabri Wertherum detulerunt. Nullus sacerdos eum comitatus est. ❀

1. E. Volgangi de Goethe opere c.t. Die Leiden des jungen Werther, a. 1774.



# *In hoc fasciculo !*

*Æstas Latina* [G. Licoppe] p. 1

« *Calepini Novi* » *præfatio* [Th. Sacré] p. 2

*De Rusticatione Mexicana* [A. Schönberger] p. 5

*De trapezitis argentariisque antiquis* [G. Licoppe] p. 12

*Iuvenis Werther quæ passus sit (v)* [N. Gross] p. 15

---

## CALEPINVS NOVVS

Vocabulaire latin d'aujourd'hui (Français - Latin)

Vocabularium linguæ Latinæ hodiernum (Latino - Francogallicum)

¶ Ediderunt Fundatio Melissa & Musée de la Maison d'Érasme.

¶ 2 tomi in involucro, 204 p.

¶ Constat viginti quinque euronis (sive euronibus, sive euro-  
nummis), inclusis sumptibus cursualibus.


¶ Venditio : Tel. + 32 (0) 475.47.55.18 / Telecop. + 32 (0) 735.51.32. /  
guy.licoppe@pophost.eunet.be

---



*In seminario Siculo participes delectantur musica  
a Stephano Feye oblata. Inter alios agnoscuntur :*

*Christianus Laes, Natalia Lambadarios,  
Michaela Gabarrou, Etbeldreda Bernardi.*



*Inter Férias Ferigoletenses :*

*Pater Andreas Forest, Iobannes Claudius Champeau,  
Dominicus Viain, Olivarius Rimbault*